

- cancelariis causas testes, qui a parte vel partibus nominantur in scriptis, in quacunque questione civili, et ipsos testes sic inscriptos in cetulla receptos conservare usque ad diffinitivam sententiam, et hoc antequam recedat de palatio, etiam
- 5 pena vigintiquinque libr. par. ¶ Item interesse in quibuscunque rationibus comunis et in quolibet aren- // go et summam arengi 40 B in concordantia cum quaterno arengi, nomen procuratoris comunis cui arenga fuerit designata, et diem designationis et summam dictarum condempnationum in quaterno¹⁾ ad hoc
- 10 deputato, et in omni ratione procuratoris comunis conducere dictum quaternum ad rationem comunis, etiam pena vigintiquinque libr. par. ¶ Item habere et conservare claves sacristie comunis Tergesti, et eam non intrare nec cum ipsis clavibus aperire nisi in presentia iudicum vel maioris partis eorum, et
- 15 etiam habere et conservare unam clavium hostii logie comunis, in qua sunt armamenta comunis, et eam non aperire vel eam intrare sine presentia procuratoris et iudicum, etiam pena decem libr. par. ¶ Item facere inventarium de quaternis et scripturis existentibus in vicedominaria, videlicet de quaternis
- 20 quot²⁾ sunt et cuiusmodi offitii, et de nominibus tabelionum, et ipsos et ipsas designare eorum successoribus, et facere duo inventaria de predictis, quorum unum sit penes dominum potestatem vel vicarium³⁾ loco potestatis, alterum penes dictos vicedominos; et nullos quaternos dare extra vicedominariam
- 25 comunis alicui persone nec extrahi⁴⁾ non posse nec dare, sed exemplare de dictis quaternis talem scripturam petitam, et se subscribere cum signo eorum sub dicta scriptura exemplata, et ipsi tali scripture exemplate taliter adhibeatur⁵⁾ plena fides, si erunt in concordia cum autentico, et de hiis scripturis solutionem recipere in discretione dominii. ¶ Item ponere in dictis
- 30 quaternis solum substantiam contractus, videlicet diem et consulem, testes, nomina contrahentium, rem vel res venditas vel permutatas⁶⁾ precium rei promisse, varentationis, obligationem

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ quod. ³⁾ vicarius. ⁴⁾ Aggiunta marginale quasi cancellata: p[os]se etiam] pena [libr.] XXV par. pro quolibet. Et [si ali]qui dictorum qua[ternorum] pro aliquibus [ac]tibus essent neccessarii domino potestati vel alicui alteri persone extrahi. ⁵⁾ adhibeatur. ⁶⁾ permittatas.